

I. TEXTO

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI NORMAE DE CONFICIENDO PROCESSU PRO SOLUTIONE VINCULI MATRIMONIALIS IN FAVOREM FIDEI (30 APRILIS 2001) *

PRAEFATIO

POTESTAS ECCLESIAE solvendi matrimonii in favorem fidei, praeter privilegium paulinum, adhuc ordinantur quoad exercitium *Instructione pro solutione matrimonii* et *Normis proceduralibus* a Paulo VI approbatis et a Congregatione pro Doctrina Fidei anno 1973 editis. In his documentis et condiciones ut casus matrimonii solvendi in favorem fidei admitti possit indicantur et normae procedurales feruntur in dioecesibus servandae, antequam acta ad hanc Congregationem mittantur. Promulgatis vero *Codice Iuris Canonici* pro Ecclesia latina et *Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium* pro Ecclesiis orientalibus, necesse est, illis documentis revisis, praescripta nonnulla novae legislationi accommodare.

Notum est utique matrimonia inter acatholicos, quorum saltem alter baptizatus non sit, in favorem fidei salutemque animarum a Romano Pontifice, positis determinatis condicionibus, dissolvi posse. Huius vero potestatis exercitium, attentis tum necessitatibus pastoralibus temporum et locorum, tum omnibus cuiusque casus adiunctis, supremo eiusdem Summi Pontificis iudicio subest.

* Congregatio pro Doctrina Fidei, *Potestas Ecclesiae*. Normae de conficiendo processu pro solutione vinculi matrimonialis in favorem fidei, 30 Aprilis 2001, Città del Vaticano 2001.